



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

IX. De monialibus in claustris co[m]munem vitam non ducentibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

fuerit expedire, quod de consilio ordinarii ad alia
sui ordinis claustra destinentur.

VII.

Item, licet felicitis recordationis Gregorius papa nonus providere statuerit, vt in singulis regnis seu prouinciis prælati ordinis sancti Benedicti de triennio in triennium capitula regularia celebrare deberent, & nos idem statutum in prouinciali duxerimus innouandum; quia tamen nullus fructus adhuc est ex prædicto statuto & innouatione, repetita vice decreuimus eadem capitula celebrari; iure tamen ordinariorum per omnia saluo.

VIII.

Item ne monasteria immoderatis visitatorum sumptibus grauiter onerentur, statuimus vt quilibet abbas, qui pro tempore visitator fuerit, vel etiam capitulum generale accesserit, octo cuectionum numerum non excedat: inferiores vero abbates paucioribus sint contenti.

IX.

Item cum dolore accepimus, quod quædam moniales in eodem monasterio communiter habitantes communem vitam non ducunt, nec in eodem comedunt refectorio, sed seorsum per cameras speciales. Volumus igitur vt communiter regularia loca frequentent, & in eodem refectorio communibus cibis vtantur. Et quod abbatissa ab aduentu Domini vsque in octauam epiphaniæ, & a septuagesima vsque in octauam paschæ, in dormitorio dormiat, & in refectorio comedat cum eisdem.